

Coniectanea.

I Musonius Rufus ἐπεμέλετο βάρων [βαρῶν traditur] ἡνίκα φεύγειν αὐτὸν ἐπέταττε Νέρων, ut Iulianus Caesar in epistula quadam scriptum reliquit II p. 608, 18 ed. Hertlein. haec Eggerus nuper sic interpretatus est quasi βάρος pondus exagiumve iocretur ac Musonius ponderibus publicis praefectus. lubrica res est, quod scriptor titulusve nullus, de tot nullus memoret officium aut munus comminisci. tum repugnat Suidas, qui verbis illis utitur βάρεις vocari τείχη στοᾶς αὐλᾶς πύργους declaret, ἀπρονίτην χρῶν τούτέστι τειχῶν. cuius significationis idonea suppetunt exempla, velut psalmodiarum in graeca interpretatione 45, 8 fertur τὸ βάρεων ἐλεφαντίνων, in commento Vaticano ἡ βάρεις καλεῖται ἡ πόλις ἅπας πεπυργωμένος et βάρεις οἱ μέγιστοι τῶν οἰκῶν γίνονται. denique sententia epistolae repugnat, philosophum enim videns Iulianus cum Musonio ideo comparat, quod ille quicquid in qua versaretur urbi voluerit opitulari (τῇ πόλει βοηθεῖν). videmus igitur Musonium quo tempore ex urbe pulsus est, curam esse domorum aedium operum quae Iuliani temporibus vocantur maximorum. sed publice hanc ei curam mandatam fuisse Iulianus testatur, is enim non adiecit quem editores adiciunt culum (ἐπεμέλετο τῶν βάρων), nec per se veri simile est, curatores operum publicorum Romae tum senatorii ordinis fiebant, Musonius autem equestris erat. itaque munus publicum credere malet, sub curatore eum fuisse sumat necesse est aut curatorem ex eo genere quod O. Hirschfeld *die kaiserl. Verwaltsbeamten* p. 160 explicuit. verum quis illo anno homo humanior vitae vitam agebat, quin curam impenderet aedificationi ac moerore sua aut civium calamitate coactus? nempe ante paucos mensibus maxima pars vasto incendio deflagraverat. confirmatur huiusmodi verbis, si tamen opus est firmari Taciti fidem adversus praesertim, exulare iussum esse Musonium anno 65 intra decem ab urbis incendio mensem.

II *In Feroniae templo Tarracinae sedile lapideum fuit, in quo sic versus incisus erat:*

bene meriti servi sedcant: surgunt liberi.

Servius comm. Aen. VIII 564 ex VARRONE, *urgant* aut *surgent* editores. versum nemo non agnoscat senarium, cuius metri rarus in sacris Italorum et serus usus fuit utpote acciti a Graecis. ac licet inter priscos ritus haec per sessionem in libertatem vindicatio habenda sit, non multo secus ac recepta iure romano illa per vertiginem, inscriptio tamen sedilis quam Servius refert vix est facta ante tempora Gracchana.

ex hac inscriptione lucis aliquid affundi puto graecae antiquissimae adhuc obscurae quam Roehlius numero 72 notavit. in Laconica haud procul a Gytheo, quo loco Pausanias lapidem esse scribit quem Doris Iovem Liberatorem vocent, in quo Orestes postquam con sederit liberatus sit furore, etiamnum sedile lapideum visitur cum scabello ex saxo exsculptum, cui adiunctus est hic titulus: μηδέν' ἀποστρύθεσται. [αἱ] δέ κα ἀποστρύθηται. ἀσατᾶτα[ι] ὁ δῶλος. αἱ δὲ ὀπη νόμος, ὀστάτω. qui viderunt titulum, ad dextram aut sinistram plusculum litterarum aut fuisset olim aut esse potuisse significant ita ut aliqua relicta sit de integritate dubitatio. vetari opinor in eo solio nequis subrigat se aut extendat, εἰ δὲ ἀνακλίνηται, ζημιούται ὁ δοῦλος: εἰ δὲ ὁ νόμος ἐστίν, ἀναστήτω. aeolissatne titulus? ἀποστρύθεσθαι verbum ignotum quid valeat, ex στόρυγγι et εὐστόρυγγι Πριήνη colligo, tum ex στρώμασι stratisque. extrema utut legentur a manumissionem spectare opinor servi: si quis ibi con sederit lege loci, ἐλεύθερος ἔστω καὶ ἀποτρεχέτω οἷς ἂν ἐθέλη.

III In annalibus maximis libro XI hic senarius ferebat malum consilium consultori pessimum est quasi factus et a pueris cantatus in urbe priusquam devincerent Etrusci (Gellius IV 5). proverbio idem increbruerat circa ann. urbis DCCXV (Varro rust. III 2, 1). origine tamen vereor ut ascensu supra natalem Varronis et attingat P. Muci pontificatum maximus mortui post a. DCXXXI. neque enim vetus est consultoris nomen neque eo qui primi utuntur Afranius et Cicero nisi quaerent ac petentem consilia hominem significant. plane neotericum est vocare item qui consilia daret, τὸν βουλευόμενον, ut senarii aut fecit cupideque sectatus Sallustius. duo extant aut ubi plurimaria annalium maximorum fragmenta, id est voluminum hiscorum quae Cicero aliique perpauci cognorant et ex publicis tabulis pontificum maximorum deducta credebant: unum hoc quod Hesiodi sententiam continet scaenicis modis aptatam ediscendum pueris, ex altero defectionem solis diemque eundem quem Ennium in illis consignatum fuisse discimus. bella vero an-

tatis romanae monumenta, quibus non modo Ennianum testimonium sed etiam ex Hesiodo chria intexta fuerit. puerorum gratia aut adeo puellarum annales quosdam tanquam fabulas esse compositos inter Gracchana et Sullana tempora certum est, *veterem historiam inductus studio scribis ad amores tuos* Lucilius.

IV Fabulas Aesopias duas in historiis Francorum legere me memini. altera in Fredegarii chronicis cap. 38 p. 618 Ruin. sub anno 612 narratur: *rustica fabula dicitur* lupum filios suos cum venari coepissent, admonuisse amicos nullos esse nisi paucos de genere ipsorum. altera quam circa annum 550 Theodobaldus rex finxisse traditur a Gregorio Tur. IV 9 p. 147 Ruin. sic incipit, ut audire tibi videaris Phaedrum:

serpens ampullam vino plenam reperit.

cetera non eisdem numeris decurrunt, neque vero prorsus extra numeros, habent igitur simile quiddam fabulis Romuli. proponam autem ad illum modum immutata:

*ingressusque avidus hausit intus quod fuit,
ut vino inflatus egredi per ostium,
qua ingressus fuerat, non valeret postea.
advenit vini dominus, dum ille nititur
exire frustra. sic ait: 'prius evome,
quod inglutisti, liber tunc abeas licet'.*

haec viam muniunt emendandae nisi fallor similis de volpe fabulae Babrianae. ibi enim 86, 8 postquam volpes tumefacto ventre ex angustis faucibus erepere non potest, advenit flenti sororcula et σκώπτουσα 'μείνον' εἶπεν 'ἄχρι πεινήσης, οὐδ' ἐξελεύση πρότερον ἄχρι τοιαύτην τὴν γαστέρα σχῆς, ἠλίκην ὄτ' εἰςήεις'. minime apte inter se coniunguntur illa 'mane dum —' et 'nec exhibis dum —', itaque qui numeros orationi dempsere Graeculi aut prius membrum omiserunt (paraphrastes Bodleianus) aut posteriori (μενετόν σοι fabula Aes. ab Halmio numerata 31, μένε σύ fab. 31 b), editores Babrii recentes vel unum versum vel duos deleverunt. sed nullum ita fit σκωμμάτιον. in codice σκώπτουσ' ἄμεινον, tum vά super scriptum est quasi ἀνάμεινον legere debeamus, perleve hoc quidem sed tamen aliquod vestigium veri. nam verum esse censeo σκώπτουσ' 'ἔμει νῦν' εἶπεν. vomitu enim famem parabant ac reparabant non modo luxuriae sed etiam validitudinis caussa veteres plurimi. nota sunt Celsi verba 'eiciendo vorandi facultatem molliuntur' et Senecae 'edunt ut vomant, vomunt ut edant'. Caesar cum apud Ciceronem cenaret ἐμετικὴν agebat, cuius rei post balneum unctionem accubitus mentio fit ante esum

et potum ep. ad Atticum XIII 52, Caelius inridens Q. Pompeium Baulis emeticam facere et misere esurire scribit ep. VIII 1, 4. salse igitur volpes cibus impletam germanam tanquam medicus laborantem stomachi fastidio hortatur ut vomat donec esuriat. librarii male consulebant verbo paulum abdito et indecoro, Babrii fab. 34, 7 ἤμει Rutherford optime, εἰμὶ vel εἶμὶ deinde οἴμοι codex.

V Ambrosius de Abraham I 9, 91 p. 311 Bened. duos ex Euripidis Andromacha posuit versus mutuatus a Philone, ut opinor. quod testimonium non relatum in Kirchhoffi commentario ad versus 967 s. tamen dignum est quod homines Euripidei attendant. Rebeccae historiam Ambrosius ex Genesis cap. 24 explicat: 'consultitur puella non de sponsalibus, nam illa iudicium exspectat parentum, non est enim virginalis pudoris eligere maritum . . . unde illud Euripideion, *quod mirantur plerique*, unde translatum sit manifestum est. ait enim in persona mulieris, quae tamen maritum volebat relinquere et ad alias petebatur nuptias: *νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς μέριμναν ἔξει κοῦκ ἐμὸν κρίνειν τάδε*. hoc est

sponsalium quidem meorum pater meus
curam subibit, hoc enim non est meum.

ergo quod et ipsi philosophi mirati sunt, servate, virgines? sic haec transcribendo disposui, ut appareret versus Ambrosium reddidisse versibus, et eis qui Senecae ac tragicorum artem imitarentur. vitium quidem inest in versu priore quem claudere poeta sic debuit *meorum auctor meus*, sed ipsius Ambrosii culpa fieri id potuisse arbitror ex ancipiti pronuntiationis vulgaris sono. levior sane permulto Tertulliani fuit Epicharmeum dictum vertentis in primo pede error vel licentia: *animus cernit, animus audit, reliqua surda et caeca sunt* (de anima 15). at Ambrosio posteriores scriptores ecclesiastici dum Homericos versus latinis expriment, etiam tales fundebant hexametros *et senes et pueri et nondum nuptae puellae*, et Chilperici regis versiculos obtrectator eius Turonensis nulli plane metricae rationi convenisse sed pro longis syllabis breves, pro brevibus longas habuisse bis iterat.

VI In mala carmina quoniam oratio nobis incidit, hoc quoque adiungam ac praecavebo ne longius serpat malus error. Prisciani aetate *supplicio te et tibi* utrumque dicebatur, alterum more antiquo alterum novissimo. quam ob rem grammaticus XVIII 219 (II p. 316, 19 H.) antiquam structuram Terentii exemplo declarat, cetera tamen precandi verba accusativo coniungi addit. in codice autem uno, in margine eius librarius sectator Lupi abbatis

Ferrariensis, hominis a pia fraude minime alieni (ILangen in Sybelii annalibus hist. XII p. 487), cum exemplum edere etiam alterius vellet structurae, haec adscripsit: *Accius*

clatis manibus Priamus supplicabat Achillem.

manifestum est hexametrum hunc esse ab indocto infimi aevi poeta factum, eius aevi quod duplices consonantes ac simplices in syllabis non acutis promiscuas habebat et *oportune Agripina ecclesia* similia corripiebat. Accium, si libet, licet eundem esse credas, cuius ex Iliade versum in commento Persii 1, 4. 50 Cornutus sive Fulgentius fallaces nec sinceræ fidei auctores proferunt. illum versum *supplicabat Achillem* postquam viri litterati ac modesti suspicati sunt veterem esse ac Saturnium, supervenit L. Mueller (Enni p. 169) et vetustissimo Priami carmini adtribuit. cui hanc poenam inrogamus humaniter, ut conquirat mediæ aevi de rebus Troianis carmina et si quod eorum monachus iste adhibuerit demonstrat.

VII Ennius in saturis (inc. IV p. 159 Vahleni) Aesopium de cassita apologum versibus quadratis composuerat, quorum duos postremos Gellius perscripsit integros, ceteros ex prosa eiusdem narratione Ribbeckius recuperare conatus est in hoc museo X p. 290. in Hygini libro fabularum plurima illa scaenicarum fabularum argumenta, quorum uni adscripta est Enni auctoritas, diversi generis fabula excipit una, qua Cura fictrix hominis inducitur, caput 220 superiori libri parti non minus dispar quam inferiori, similis Phaedri de Prometheo apologis. aliquem poetam condidisse eam fabulam consentaneum est, latinum scriptorem condidisse vocis quæ est *homo* originatio ostendit memorata cum aliis Varronis ac Stilonis veriloquiis a Quintiliano I 6, 34 agnovitque Bernaysius opusculorum II p. 320. si quaeris quo modo traditam fabulam esse putem in manum Hygini, respondere non dubito, versibus quadratis. ab his enim numeris proxime absunt initium fabulae et exitus, fere omnis enuntiatio Hygini eo ambitu adstricta est quem versus septenarius habet, aliquot etiam vocabula poeticam magis quam pedestrem dictionem referunt. dabo igitur fabulam redactam in veteris carminis formam, id est dabo copiam iudicandi quod opinatus sum de metro universe, quis enim de singulis versibus affirmare ausit?

Cura cum fluvium transiret, vidit cretosum lutum

sustulitque cogitabundâ atque coepit fingere.

dum deliberat quid iam fecisset, Iovis intervenit.

rogat eum Cura ut det illi spiritum, et facile impetrat.

cui cum vellet Cura nomen ex sese ipsa imponere,
Iovis prohibuit suumque nomen ei dandum esse dicitat.
dum Cura et Iovis disceptant, Tellus surrexit simul
suumque nomen esse volt cui corpus praebuerit suum.
sumpserunt Saturnum iudicem. is sic aecus iudicat:
'tu Iovis, quia spiritum dedisti, in morte spiritum,
tuque Tellus, quia dedisti corpus, corpus recipito,
Cura eum quia prima finxit, teneat quam diu vixerit.
sed quae nunc de nomine eius vobis controversia est,
homo vocetur, quia videtur esse factus ex humo'.

VIII Aeschyli Supplicum chorus v. 40 Weckl. invocat

Δῖον πόρτιν ὑπερ-
πόντιον τιμάορ' ἱνὶν τ'
ἀνθονομούσας προγόνου
βοός.

male editores quae post ἱνὶν est particulam eximunt, infringunt enim numerum epitritum dissolvuntque conexa a poeta. qui Epaphum cum posset dicere Iovis et Ius filium, ex Iove et Ione iuvenum, Iovis et vaccae filium, ex Iove et vacca vitulum, artificiose haec sic conlegit: ex Iove iuvenum filiumque vaccae, quo magis concurrerent inter se concursuque animum percuterent mirabilia.

v. 61: putabit quispiam audire se vocem τᾶς Τηρείας μήτιδος οἰκτρᾶς ἀλόχου. coniungendum est τᾶς Τηρείας ἀλόχου, quo modo Aeoliae denominantur uxores, a Theocrito Νικιάα ἄλοχος, latine Tereia coniux. sequitur μήτιδος ut Aeschylus posuerit pro adiectivo, qualia sunt πότις κλέπτις ἀλήτις πλανήτις al. id licet nusquam appareat, non pauca in hac potissimum fabula priscae graecitatis et obsoletae extant vestigia. bene luscinia μήτις, mediatrix vocatur, sive avis respicimus vigilantiam sonosque varios sive Procnes vel Philomeles historiam, quam Ovidius narrans 'grande dolori' inquit 'ingenium est miserisque venit sollertia rebus'. fitque comparatio filiarum Danaï τοῦ βουλάρχου.

v. 76: fletibus virgo indulget

δειμαίνουσα φίλους τᾶς-
δε φυγᾶς Ἄερίας ἀπὸ γᾶς
εἴτις ἐστὶ κηδεμῶν.

φίλους neque ipsum placet copulatum cum verbo timerdi et cetera pars orationis ut convolsis verbis inapte adhaereat facit. atque in codice Mediceo φόλους fuit, deinde factum φίλους. mihi ex v. 745 et 785 in mentem venit poetam scripsisse δειμαίνουσ'

ἀφόδους τὰςδε φυγᾶς, metuens exitus huius ab Aegypto fugae, equis sit curator, id est metuens quisnam refugia ac secessus nobis curaturus sit.

v. 79 ss. omnia fere in codice scripta sunt sine mendis, verum ab editoribus atque etiam eis qui verba non immutarunt, male percepta:

ἀλλὰ θεοὶ γενέται,
κλύετ' εὖ τὸ δίκαιον ἰδόντες·
ἦβαι μὴ τέλεον
δόντες ἔχειν παρ' αἴσαν,
ὕβριν δ' ἐτύμως στυγόντες
πέλοισι' ἄν ἐνδικοί γάμοις.

ἦβαι, τέλεον, γάμοις haec verba in vicem aliud alii opem ferunt, item tria aoristi participia. publi si non iugalia dederitis praeter fas, contumeliam autem reapse odio habueritis, tum iustitiae exemplum constitueritis in nuptias. pubem apparet dici ipsarum Danaidum, virginum nubilium, contumeliam Aegyptiadarum. τέλεον nominis loco substantivum est, coniugium ut opinor, non coniux (sic enim scriptum vellem τελέους δόντες ἔχειν). Photius lex. τέλεον, καὶ τὸ τέλειον· τελείους τοὺς γεγαμηκότας καλοῦσιν καὶ τελεωθῆναι τὸ γῆμαι, praeterea τέλος καὶ ὁ γάμος, ὅθεν καὶ τὰ προτέλεια: haec sufficient in re nota.

v. 88: εἰθείη Διός, εὖ παναληθῶς.

eadem vox ex sacris quibus nos utimur libris identidem resonat: est recta via domini. nam εὐθειᾶν equidem intellego. εἰθ- etiam Atticos olim pronuntiasse testis est εἰθύφαλλος, terminatio vocabuli abhorret ab Atthide. at aliorum ea fuit Graecorum, Thesalorum quibus ἰθείη· ἄμαξα adsignatur ab Hesychio, praecipue Ionum eorum qui non iam ἰρείαν ut Homerus sed ἰρείην efferebant. fallor an Ionici poetae dictum Aeschylus repetivit et a pervolgato per hymnodias versiculo de Iove novi ac sublimioris carminis exordium sumpsit? via dei recta est, bene hoc dictum est, verissime, sed dei voluntatem nemo facile aucupatur usque quaque effulgentem et in tenebris nec sine atra fortuna mortalibus.

v. 107: deicit Iuppiter arces in quas homines spes suas evehunt, neque vero vim ullam educit armatorum — sequitur versiculus quem adhuc restituere non potuimus, sed illi sententiae subiectum esse nec valere ad posteriorem elucet —

ἡμεγον ἄνω φρόνημά πως
αὐτόθεν ἐξέπραξεν ἔμπας
ἐδράνων ἐφ' ἄγνων.

Iovem in his intellegendum esse sic ut in superioribus et inferioribus, nullum alium deum hominemve describi ἐκπράκτορα, aequè certum habeo ac semel unum singulum esse. necessario igitur scribemus ἥμενος. iam non stat ἄνω, unam enim eo loco syllabam metrum postulat. Aeschylus quod dederat, id pridem Bothius invenit nesciens ille quidem cerni etiamnum in codice. nam etsi tacent Vitellius et Wecklinus, fides habenda erit Dindorfio adnotanti ἄμφρόνημα pr. sed in ἄν (i. e. ἄνω) φρόνημα mutatum'. verum est ἄμ vel ἄν, iteratam saepe actionem significat (velut Herodoti II 109 ἐλθὼν ἄν πρὸς αὐτὸν ἐσίμαινε, cf. Porson in Eur. Phoen. 412), aoristum cur Aeschylus debuerit subiungere vel pueri docebunt, ita demum repugnantium temporum efficitur congruentia, nam ab ἐτύχθη v. 90 ad ἐξέπραξεν tota numinis divini descriptio tempore praesenti pertexta erat: nullas deus adversum tumidos homines armat atque emittit copias, sedens solet ut quidque cogitavit e vestigio perficere utique in solio casto. nam ἐφ' quod codex praestat et scholiasta interpretatur, tantum abest ut mutari oporteat in ἀφ' ideo quod intersertum est αὐτόθεν, ut orbem orationis quasi rotundiorem et concinniozem reddat, quia natura conligantur dissociata locis verba ἥμενος ἐδράνων ἐφ' ἄγνων eaque ex distributione coeuntia utrinque secus ambitum fortiter cingunt. sane Homerus αὐτόθεν ἐξ ἐδρέων, sed quis non persentiscit etiam praesentius esse temporis momento, quod ἥμενος αὐτόθεν peregerim ἐφ' ἔδρας? Hesychii glossa φρόνημα· βούλημα θέλημα fortasse ad hunc versum pertinet.

v. 113 ss. in notatione superborum procorum poeta scite variavit usum temporum: τεθαλώς, id ex stirpe insitum acceperunt, ἔχων, id ipsorum fert ingenium, μεταγνούς, id iam perpetravit novella suboles. vigent insipientia, furore stimulantur, damnum tulisse ita eos paenitet, non ut peccare caveant sed ut porro nitantur ad fraudem. iniuriosissimi hoc est et indurati sceleribus hominis, ἄταν ἀπάται μεταγνώναι, in quo ἄτα suam propriam vim retinet, eam quam sermo iudicialis legesque clare ostendunt. ut in Gortynia lege una res est ἄτα et νικά variata pro eo qui caussa cadit aut vincit, similiter Aeschylus infra v. 170 Ius et Iunonis contentionem rivalium litemque iudicatam dixit ἄταν γαμετουρα- νόνικον id est damnum datum Ioni eiusque posteris in terris pro maritali in caelo victoria Iunonis. falsum est quod volgo probant ἄταν γαμετάς, maxime per se, deinde quod caelum victum ita satis inaniter adponunt, cum in caussa sit Iuppiter. in hac quidem re minus erravit scholiasta qui Iunonem in viro vincentem

caelites omnes fecit. sesquipedale verbum dignum Aeschyleis ampullis, bene claudit compressa illa et extremo spiritu tracta anapaestica, quia compressam ipsum quoque et idem relaxatam ex murmure spondiazonte vocem habet: ἄ Ζάν, | 'Ιούς ἰώ | μάνις μάστειρ' | ἐκ θεῶν. | κοινῶ δ' ἄταν | γαμετουρανόνικον.

v. 118 revocanda est codicis scriptura legendumque cum Stanleio θεωρομένα λέγω, ut mora vocis fiat respiratioque ante ἰῆ ἰῆ pariter atque in antistropha. longior verborum circuitus qualem Engerus fecit, parum convenit eiulantibus. atque aliud est θεωρομαι infremo raucoque strepitu vociferor, aliud λέγω eloquor. tum ἠλέμοισιν ἐμπρεπῆ, tanquam mortuam viva me ploro.

v. 126: veneratur chorus terram quam ingressus est advena, invocat deam quae ne peregrinam quidem loquelam non intellegat, adicit

πολλάκι δ' ἐμπίτνω ζὺν λακίδι
λίνοισιν ἦ
Σιδονίαί καλύπτραι.

interpretantur Schuetzius et ceteri: impetum in vestes facio lacerando, discerpo linum, comparantque e Persis illud ἐν πέπλοις πέσῃ λακίς, quod re vera est dissimillimum. eam interpretationem, cum vel ἐμπίτνω verbum considero (nempe indutae sunt his in quae incidere se narrant vestimentis) vel ζὺν praepositionem, repugnare censeo contra graecitatem. mihi virgines dum Terram propitiant, ut solebant supplicantes, procumbere humi terramque plangere videntur, ἐμπίπτειν τῇ γῆι, quod nomen progredientes ab illo versu ἰλέομαι μὲν Ἀπίαν βοῦνιν continuo consequitur. tum ζὺν λακίδι eqs. hoc valent: saepe tibi prosterno me cum ornamentis meis, quantum quidem eorum lugenti reliquum est, laceris et deformatis. ac λίνοισιν ἦ, utut cetera iudicantur, certe alienum ab Aeschylo putandum est, nam comprehendi in unum vestes et velamentum oportuit, non disiungi ac separari. nec vero gravi illud sustentatur auctoritate, nam Mediceus hoc loco λίνοισιν ἦ, v. 138 αἴνοισιν ἦ, utrobique casualis vocabuli speciem habet. propono corrigendum

πολλάκι δ' ἐμπίτνω ζὺν
λακίδι λινοσινεῖ,
Σιδονίαί καλύπτραι.

adsimiliter in Choephoris λινοφθόροι ὑφασμάτων λακίδες. iam est lacinia linea scissa ac male habita, λακίς λινοσινής, quae fuit claro nomine tegumentum. κεφαλόδεσμον si accipimus secundum consuetudinem sermonis, capitis pedumque cogitatione προσκύνῃσις

supplicantium quam maxime submissa depingitur. logaedicos versiculos tripedes distinet tripes trochaicus recinitque modos in principio strophae cantatos; Agam. 185 198 Herm. praemissa iambica tripodiam logaedicis eundem flexum facit quo haec strophae consistit.

v. 59 οἶκτον οἶκτρόν horum recte deletum est alterum, v. 153 lego διωγμοῖς ἀσφαλέας ἀδμήτας (musei huius XL p. 627). iam duo in hoc cantico restant nodi expediendi ingenio feliciori, de quo monui v. 106, et v. 54 in quo ego coniectabam τά τε νῦν ἐπιδείξω πιστὰ τεκμήρια τέκνον ὁμοῖά τ' ἄελπτά περ ὄντα φανεῖται id est τέκνον οὔσα vel ut Heliodorus dicit Aethiop. X 12 τοῦ θυγάτηρ ὑμετέρα εἶναι (et quae nunc profero testimonio erunt me Ione Eraphoque esse natam, et similia futurum infortunium indicia dabit). cetera purgata et proba videntur. ex alia parte fabulae nunc unum adsumam versum, 646. chorus ne ferro ignique urbem amicorum perdat deprecatur Martem,

μάχλον Ἄρη
τὸν ἀρότοις θερί-

ζοντα βροτούς ἐν ἄλλοις.

neque efficaciter neque eleganter adiectum esse ἄλλοις in fine docti plerique censuere finemque alio verbo implere conati sunt. atque ego βροτούς a librario factum opinabar, ab Aeschylo θερίζοντ' ἀρότους, ut seges Mavortia, quae translatio latinis poetis admodum placuit, opposita esset segetibus aliis, id est propriis ac naturalibus. verum tamen ne hac minima quidem opus est mutatione, modo ne enervemus dictum ea quam alius ex alio repetit enarratione, sed accuratius vertamus 'qui inter alia arata demetit homines' ac recordemur quam Atticis familiaris fuerit civium prolis per ἀροτον significatio quotque bellorum historiis decantata sit calamitas agrorum ab hoste τεμνομένων.

IX Laevi carminum reliquias qui conlegit Weichertus de Hostio Laevio al. p. 43 ss. et item qui Weichert operam ad compendium contulit Muellerus Catulli p. 76 ss. praetermiserunt minutum versiculum traditum a Caesio Basso GLK. VI p. 261, 26 et 262, 17, iteratae a Keilio editionis (Halis a. 1885) p. 6, 26: *reliqua pars hendecasyllabi 'lepidum novum libellum' anacreonticon facit metron . . . quale est illud apud Laevium [Lepidum codex Parrhasii, quod subrepsit e prioribus]*

mea Vatiens, amabo

et 7, 15 quo loco de galliambo eiusque pede paenultimo agitur: *ut si facias illum ex Laeviano [leviano codex] metro ad hanc legem*

mea Vatiēna, amabo, mea cura, mea Venus.

tenemus erotopaegnion, tenemus numeros quibus complura Laevi carmina vincta fuerunt (fragm. 5 13 19 M.), discimus mensuram vocabuli antehac ignotam, sed ad res poetae definiendas vel illustrandas Vatiēnae nomen etiam minus prodest quam Varronis, quod in fr. 3 quae circumstant verba, *meminens Varro corde volutat*, in eis non mirabor si quis imaginem agnoscere volet philosophi Reatini.

Laevium nunc omnes consentimus multum promovisse poeticam Latinorum facultatem, non minus artificii metrorum verborumque quam doctrinae aut exercitationis argumentis haustis a fontibus Graecorum. neque ullam tamen eius cives aequales aut huic aetati suppare memoriam prodidere tanquam dissimulaturi obstinato silentio merita scriptoris vivi aut vixdum praeteriti. scias humilem et ignobilem loco vitaeque fuisse, quem Varro Cicero ceteri magni nominis in litteris aut in re publica viri despexerint. atque ipsa carmina nimis nugatoria frivolaque levitatis plurima fatendum est olere ludum litterarium et litteratoris pergulam. fr. 27 *Laevius in polymetris: omnes sunt denis syllabis versi* hos numeros plane innumeros, licet metrum sit decasyllabum, metricae artis doctor condidisse videtur novamque excogitasse figuram compositionis, qua inculcaret iuvenibus illud magistrorum decretum, variari posse metra omnia detractioe aut adiectione aut permutatione aut concinnatione. ita postea Philippus Thessalonicensis, quem in Camillorum domo docuisse opinor, poematum finxit APal. XIII 1 quo pentametrum elegiacum quattuordecim syllabarum decrescere in syllabas decem ostenderet permutatione ac detractioe, cum primum versum faceret χαίρε θεά Παφίη, σὴν γὰρ αἰὲ δύναμις, quattuor deinceps singulis syllabis minores, postremum πάντη γὰρ πᾶσιβ σὴν δηλοῖς τιμήν. si non tale consilium Laevius ceperat, at tale ludibrium artis edidit in polymetris, denis syllabis vel ad eum modum vel aliter atque aliter coagmentatis cum pangere versus studeret.

Laevios perpaucos novimus, nomen Laevium etiam in titulis latinis adeo rarum est et infrequens, ut si recurat in homine eiusdem temporis, eundem hominem iure suspiceris. itaque vix dubito quin idem sit Laevius poeta et Laevius propter facetias grammaticas memoratus ab Suetonio gram. 3: *mercedes tam magnae, ut constet Lutatium Daphnidem, quem Laevius [Levius exemplaria fere omnia] Melissus per cavillationem nominis Πανός ἀγάπημα dicit, septingentis milibus nummum a Q. Catulo emptum ac brevi manumissum.* Daphnidem grammatica arte instituerat Accius tragoe-

diarum et didascalicon auctor, certe quidem per Accium Pisaurensem Plinius n. hist. VII 128 scripsit servum litteratum veniisse licente M. Scauro principe. libertatem eum nomenque Lutatium accepisse statuemus non multo ante annum DCLXVII quo Catulus mortem obiit, tum aperuisse scholam et paulatim ad eam pervenisse celebritatem quae invidiam aemulorum et dicacitatem excitaret, denique bucolica ista cavillatione inrisum esse a Laevio circa obitum Sullae. Πανὸς ἀγάπημα: etiam Catulus Daphnidis patronus arguta fistula molles modulabatur amores. sed ioca naso sagaciore rimari captiosum est.

X Asinariam a Plauto factam esse fabulam constat. prologus eius hunc habet versum 11

Demophilus scripsit, Maccus vortit barbare.

maccus libri omnes quorumcumque aliquod est pretium. o quot modis id vocabulum temptavimus ego alique, nec quidquam efficacius credibile. *maccus* non potest immutari: cogitur eo signo aliquando vocitatum esse et agnitum Plautum. atqui huic nomina fuere Tito Maccio. tametsi enim contra disputavit nuperrime Henricus Cocchia, isque nimio diligentius ac sollertius quam alii Ritschelii adversarii, tamen conclusiones eius mihi non sunt visae aptae neque convicta pro qua Ritschellius Hertziusque propugnarent sententia: *T. Macci Plauti Casina* in Ambrosiano legitur, *Macci Titi* in prologo Mercatoris et in fabularum indice Acciano, ex industria enim Accius prologi Plautini verbum in prosam suam orationem ascivit, in prosam inquam, licet persistant plerique in errore quem musei huius XXXV p. 401 redargui. potuitne igitur Plautus Maccus appellari et T. Maccius idem? potuit, opinor, et ne obliuerent suadeo sed ut attendant qui nominum latinorum rationes tractant, vetustatis exemplum re fideque memorabile. Sarsinas poeta dum Romae scaenam tenet ludosque facit populo, simpliciter *maccus* vocabatur, ioculator γελωτοποιὸς sive quo alio verbo reddi mavis quam in praesens explanari non opus est mimicam scurrilitatem. qualem morem, ut Myllum et Graeca omittam, etiam recentiorum temporum historiae indicant, quaeriturque in Britannia *jester Will* hoc solo nomine nobilitatus utrum Shaksperius sit an alius histrio. postea Vmber civitatem Romanam adeptus cum tria nomina sumeret ritu civium, tracto gentilicio ab artis opera et appellatione qua inclaruerat, ex Ploto macco factus est T. Maccius Plautus. consimili ratione persaepe accidit, qui publicus erat servus, ut in libertatem vindicatus T. Publicius exsisteret, itemque in provinciis imperii Romani, si forte secundi vel sancti nomen pater invenerat peregrinus, ut filii cives Secundiam vel Sanctiam gentem incoherent.

Bonnae.

F. Buecheler.